

LIBER PRIMVS

STATUTORVM INCLYTAE

CIVITATIS MUTINAE.

DE OFFICIIS.

¶ Quorum industria ædita fuerint Statuta. RVB. L



LVRES quotidie (ut rerum ysu docemur) incidunt casus, quibus, nec ipsa natura rerum magistra, nec leges prouiderunt, & siccirco oportet Legislatores alias denuo condere leges, alias vero corrigere, & emendare, quibus eiusmodi casibus consulatur: antiquitas vero, quæ casus hosce prospicere non potuit, minime vituperanda est. Quæ enim leges tam perfectæ sunt, quæ casus adeo uarios complecti potuerint, aut denique tam rectæ, & sanctæ, quæ aliquando correctione, atque innouatione non egeant? Non immerito igitur Conseruatores nobilissimi huius celeberrimæ vrbis, qui illo tempore remp. Mutinensem administra bant, decreuerunt, & prorsus deliberarunt vnà cum Egregiis Adiunctis leges alias denuo condere, & eas, quibus usque in hodiernū diem vñs sunt, mutare, & corrigere, ut eorum ciuitas perpetua in pace esse possit, & ut si forte aliqua controuersia inter ciues oriretur, ea quam primum dirimatur, ac tollatur, si nevlo, vel quam minimo labore, & negotio eorum, qui remp. administrabūt. Quæ res maximo erit honori, & laudi ciuitati huic, mirumque in modu m augebit imperium atque ditionem Serenissimi Herculis Estensis eius nominis Secundi, & Ducis Ferrariae, & huiuscce Ciuitatis Mutinæ, & Regii IIII. Potestas autem hæc denuo scilicet condendi leges, seu Statuta, nec non corrigendi, & mutandi ea, quæ Ciuitas ipsa adhuc obseruauit, ab ipsis Conseruatoribus data est Dño Ludouico Bellècino iuris vtriusque Doctori, & Equiti. Dño Ioanni Casteluitreo iuris vtriusque Doctori, & Equiti. Dño Alphonso Sadoleto iuris vtriusque Doctori, & Equiti. Dño Jo. Baptista caput Bouis iuris vtriusque Doctori, duobusque doctissimis Causidicis, Domino Di no Zézano, & Dño Philippo Vignola, nec non duobus egregiis notariis, Dño Antonio Tassono, & Dño Io. Francisco Fontanæ. Qui viri doctrina, & rerum experientia valde prædicti, & si negotium suis viribus impar esse ducerent, fre ti tamen fauore Dei Opt. maximi, & Iesu Christi seruatoris nostri, & Spiritus sancti, nec non Mariæ virginis, & omnium Sanctorum precibus, & præsertim Diui Geminiani antistitis huius ciuitatis dictorum Conseruatorum honestissimæ voluntati libentissime obtemperarunt, atque pro communi omniū quiete, & tranquillitate tantum onus subire, ac suscipere voluerunt. Itaque antedi cti Magnifici Doctores, caterique viri Egregii vnà, atque vnū in locū quam særissime congregati, lectis accurate satis multis huiuscce, & aliarum nonnul-

A

larum

cedantur a DD. iusdicentibus in consilio generali hæredibus, si extabunt sin minus sufficientibus viris de agnatione defuncti, vel presentandis ab hæredi bus, casu quo ipsi hæredes non essent habiles, vel ab hominibus de agnatio ne nullis hæredibus existentibus firmo manente dicto statuto in reliquis suis partibus.

Circa statutum Notariorum, de documentis per alium exemplandis Rubrica XIII. addatur quod (ex quo ordinatum est instrumenta, & scripturas publicas, datas per Notarium rogatum de illis, alij Notario ad exēplan. per vtrūq; Notarium subscribi, & authenticari debere). Si qua tamen hucusq; facta, inuenientur, quæ sint subscripta solummodo Notarij manu de eis rogati permaneant, & nullo præiudicio suam firmitatem, & robur obtineant id quod habeat locum in præteritis.

Miserabiles personæ pro Instrumentis, & scripturis suis quibuscunq; pro eis factis, vel ipsis necessarijs soluant Notario de eis rogato, mercedem, qualem, & quantam iudicabit D. Potestas Mutinæ sufficere, qui etiam iudicabit, nunc quid tales personæ sint miserabiles, nec ne, & eius iudicio stabitur omnino.

Et prædicta omnia sic taxata, reformata, & ordine suo digesta, volumus in uolabiliter, & indistincte obseruari, & perpetuum robur obtainere firmis semper remanentibus, reliquis omnibus statutis nouis ipsius Collegij æditis anno M.D.XLVIII. die XV. Decembris, sed cassatis, & annullatis penitus omnibus, & singulis statutis, & maxime omnibus statutis tam specialibus, quam generalibus, & prouisionibus, & constitutionibus hucusq; factis quomodoli bet in quantum sint contraria præsentibus reformationibus nostris, & omni consuetudine antiqua, vel noua qualitercunq; obstante penitus sublata.

Vlterius mandamus prædicta omnia statuta, & prouisiones Collegij Notariorum, quæ non fuerint correcta registrari debere in præsentivolumine statuti, & reformationum, cum additionibus, & moderamine de quibus supra.

F I N I S, Laus Deo.



M V T I N A E.

Apud Paulum Gadaldinum. M. D. XC.



24326